

M-s. 207
2

294.

P
DIFFERENTIA
FESTI PENTECOSTES
VETERIS ET RECENTIS

PROGRAMMA
FESTO PENTECOSTES
IN ACADEMIA
IVLIA CAROLINA
ANNO MDCCCLXII.

P. P.

HELMSTADII
FORMIS LITTERARVM SCHNORRIAE VIDVAE
ACAD' TYPogr

DILEXERANTIA
ESTI PENTECOSTES

VETERIS ET RECENTIS

PROGRAMMAM
TESTAMENTO

А М С А О И

Л И Е О Д А Р И

И М Д Е С С Е К И

В. Б.

HELMSTADII

FORMIS LITTERISQ. SCHOLARIBVS AIDAV

ABEBO. EDITIONE

PRORECTOR ET SENATVS

OLIVÆ INCLÆSÆ ACADEMIAE

IVLIAE CAROLINAE

CIVIBVS LITERATIS

Redit iterum solenne illud festum, quo Spiritus Sancti super Apostolos largiter effusi memoria, per orbem christianum pie religioseque colitur. Est omnino hicce dies eo sanctior, quo semper ab ultimis temporibus fuit venerabilior. Non solum enim in primitiva christiana ecclesia maxima huius festi extitit dignitas, sed etiam sub antiquo foedere, statim ab exitu ex Aegypto, in gente iudaica primariis fe-
tis fuit annumeratum.

Quanta autem huius festivi diei ratione religiositas semper extiterit similitudo, tanta intercessit postea differentia, si finem in prima institutione, atque celebran-

A 2 di

PROLOCUTOR ET SENATOR

di modum, et determinationem scopi successu temporis
mutatam spectemus. Quod discrimen in praesenti paulo
curatus lustrare non erit iniucundum.

VITIA CAROLINAE

Prima festi origo debetur expresso Dei mandato per
Mosen. Hic, cum legum omnium, civilium et sacra-
rum, ordinem in terra Canaan occupanda servandam, di-
serte Israelitis praescriberet, tria solennia festa eo in loco,
ubi arcam foederis, cultus sacri iudaici symbolum et
mysterium, in regione sua essent reposituri, celebrare et
sancte feriari iussit. a) Probe enim agnoscetebat divinus
legislator, animum populi imperii, ad superstitionem
et idolatriam proni, facile quavis occasione avocatum
iri in devia et gentium cultum; instituendos ergo voluit
certos cancellos, intra quos se se contineret gens iudaica,
ut a gentium ritibus avocaretur. Gentes annonae abun-
dantiam variis diis aut idolis acceptam serebant, et in
eorum cultum ac laudes prae gaudio abripiebantur, vel et
defectum segetis, vietusque penuriam averti ope deastro-
rum cupiebant. Ut ergo Iudei, vero Deo se cuncta debere,
et ab illo vel copiosum vel parciorem preventum profici-
sci, meminissent, tribus statim temporibus annuatim conve-
nire omnes in populo masculos, iussu Dei ordinavit, ut
Deum exorarent tum pro frugibus dandis augendisque,
tum pro datis gratias agerent.

Cum

a) Exod. 23, 14 sequ. Deut. 16, 7. sequ.

Cum ex Aegypto cum pane azymo egressi essent
eo tempore, quo fruges in illis terris maturescerent, b)
et in memoriam istius divisae et miraculosae liberatio-
nis, et ad promissam suam terram emigrationis, festum
instituisset Paschatos, quo praeter agnum panes come-
derent fermentatos septem diebus, ut sui exilii et pe-
nuriae essent memores; manipulum novae frugis simul
Deo in occupata terra offerri mandavit, quo messem de-
sideratissimam inchoarent, et tanto impensius gaude-
rent, terram maxime frugiferam sibi esse datam, eoque
nomine Deum celebrarent, cuius gratiae ubertatem praes-
sentem deberent.

Solemnia haec et publica inghoaiae messis in Pascha-
tis festo gaudia, mox alio mense nova exceperunt tri-
pudia, ob finitam aut consummatam frugum collectio-
nen, quae iterum ex divino decreto festum faciebant
diem, nomine Pentecostes; eius ob hanc rationem va-
ria occurrunt nomina: Vocatur diserte a Mose **חנוכה festum messis**; c) non quod tunc inchoaretur, quod in Pa-
schate factum, sed quod in colligendis frugibus hactenus
occupatis, nobilissimam messis partem absolvissent.
Quo nomine publicas tenerunt Deo agere gratias, no-
vis panibus ad templum allatis, oblatis et consecratis.
Ob eandem rationem nominatur **festum בכורים קציר**
יוסט חכורי primitiarum messis triticae, d) et **days**

A 3

dies

b) Deut. 16, 1.

c) Exod. 23, 16.

d) Exod. 34, 22.

dies primitiarum, e) quod fruges agri, triticum, hordeum; in horrea congregassent, ut panes inde formare novos, iisque frui possent. Cuius argumentum erat publica illa festivitas, qua recentes ex frugibus novis panes Deo solenniter exhibebant. Alio nomine **הַתְּשׁוּבָה** festum septimanarum appellatur. f) Quoniam paucarum, septem nempe, septimanarum intervallo distaret a Paschate; quod ipsum intervallum messi erit sacrum. Circa Pascha enim falsx mittebatur in segetem, et finitis septem septimanis demetendae segeris fecerunt finem. Utque tanto magis constaret, hoc festum messi triticeae completae sacrum esse debere, intervallum illud septem hebdomadarum numerari iussit Moses a die Paschatis secundo, quo manipulus frugum demetendarum Deo offerebatur, eoque ipso messis inchoanda solenniter initiabatur. g) A quo quinquaginta numerari debebant dies, ita, ut quinquagesimus esset sacer, ipsumque festum. Vnde orta scriptoribus Nov. Test: appellatio festi, **חֲמִצָּה τῆς πεντηκοστῆς**, dies ultimus, iisque adeo feriandus, numeri istius quinquagenarii. Denique dicitur, maxime a Iudeis, **חֲמִצָּה clausula festiva**. Quae appellatio, etiamsi in festo Paschatis et Tabernaculorum ultimo oītidui feriendo a Moysi tribuatur; h) utpote quo die festum claudatur; huic tamen Pentecostes festo in specie tribuunt Iudei, ob similem rationem terminandi

e) Num. 28, 26.

f) Deut. 16, 10.

g) Lev. 23, 15. Deut. 16, 9.

h) Deut. 16, 8. Levit. 23, 36.

et claudendi; quod messem terminet, ac solenne illud intervallum quinquaginta dierum finiat atque claudat.

Haec fuit ex instituto divino festi Pentecostes origo, et celebritatis materia, nempe Deo solenni et publico cultu pro acceptis frugibus gratias agere devotas. Postea vero longe aliam ob causam celebrabatur, et hodienum a Iudeis celebratur. Nempe in memoriam legis in monte Sinai a Deo per Mosen latae. Cum frequentia Iudeorum exilia, maxime Babylonicum, Iudeos non solum terra eiecssent, sed etiam gaudio, ex messe alias oriundo, privassent, in aliis terris huius festi celebritas prorsus videbatur exspiratura. Prudentes igitur Iudeorum antifites, cum inteligerent non esse, pristinos cultus sui sacri ritus prorsus oblivioni dari, retinendos quidem iudicarunt, sed in aliud usum reducendos. Quandoquidem ergo praecipua cura erat, ut legis mosaicae bene essent memores et manerent Iudei, et hoc nomine religionem suam servarent salvam, festum hoc Pentecostes prudentes hic deflexerunt. Quod tanto aptius contigit, quanto exactius in idem tempus quadraref publica olim in deserto legis latae solennitas, que in eundem incidit mensem. ⁱ⁾ Alium ergo iam hoc festum accepit characterem, quam primitus impresserat Moses; duravitque haec nova festi antiqui celebratio omni sequenti tempore, ubicunque Iudei essent, five in terra sua, five in exilio in hunc diem.

Hanc

ⁱ⁾ Exod. 19.

VII

Hanc legis mosaicae in monte Sinai latae memoriam
hodienum Iudei hoc festo variis et vere ridiculis conser-
tudinibus recolere student, quibus statum in deserto in-
dicare contendunt. Proximo nempe ante Pentecosten die
sanguinem mittere a senioribus interdictum; ex hac ra-
tione, ut in memoriam sibi revocent, in deserto olim,
proximo ante legem Iaram die, spirasse lethalem ventum
טבורה necis dictum, qui omnibus minaretur exitum, nisi
legem admitterent. Venam ergo secari nolunt, ut te-
stentur, se non fūsos, sed falso olim evasisse, lege admis-
sa. Verum vulgo id quidem persuadent Rabbini, veram
rationem intermittendae venae sectionis vel ignorantes
vel celantes. Prima enim ratio haec esse videtur, quod
illo die maxime occupati omnes esse debent domi et for-
ris, in comparandis rebus ad festivitatem et securitatem
convivia necessariis; quo paēto otio et quieti non sit locus.
Cui accedit, quod sequens in ipsa feria ingurgitatio, quam
exercere solent, proximae aut recenti venae sectioni in-
gens esset creatura periculum. Ceterum, quod mactan-
dis pecudibus, ad solennia sua convivia necessariis, illo die
sint districti Iudei, dies caedis dici meruit. Quo etiam
dici posset ingenioso lusu, spirare **רוח טבורה spiritum cae-**
dis, quod Iudei pecudes, aves, pisces, tunc caedant
atque fecent.

Aliud in hoc festo est legis olim latae apud hodier-
nos Iudeos simulacrum, quando in synagogis et domibus
privatis gramine et flores spargunt in ipsa Pentecosten fe-
ria. Quoniam circa montem Sinai campi gramine floruis-
se aiunt, vnde Moses instinctu Dei prohibuisse wenditare,
quemquam accedere ad montem, aut greges circa mon-
tem

Q1. Buz 31

tem pascere. k) Praeterea notum satis, quod varias Iudei placentas, et in his maiusculam parent, quae montis Sinai imaginem referat. Quemadmodum inter reliquias epulas et lacticiinis visitare solent, in memoriam dulcissimae legis.

Quod ad celebritatis festi durationem attinet, et in hac discrimen observari meretur, inter institutum mosaicum et recentius. Mosi enim suffecit unum tantum diem festivitati impendisse, quo ad publica sacra israelitae profecti panes novos una cum sacrificiis Deo offerrent.^{l)} Verum cum maior tandem facta esset opum affluentia, inde que orta luxuria, quidam inter Iudeos, diutius Hierosolymis commorati, novas cum amicis epulas alterius quoque diei pararunt, quae dein sacri cultus speciem induerunt, cui fini sacrificia obtulerunt privato nomine. Quod autem opulentioribus datum, mox in consuetudinem alii quoque traxerunt. Quo pacto secundus dies sensim coepit annumerari feriis, et festivitati primi diei aequi parari.

Cum templum Hierosolymitanum adhuc esset salvum, nondum quidem apud Iudeos, in terra sua agentes, tanta secundi diei erat religio, quin licet more profano, cum luctu et ieiunio transfigere. Hillel enim, na-

scen-

k) Exod. 19, 12. 13.

l) Num. 28, 26.

scente Christo synedrii praeses, agnovit, secundi illius
dici sacra merae consuetudini deberi, ut liceret de illis
pro libitu disponere. Libertatem igitur epulandi et
teriandi, vel non, salvam omnibus hoc die secundo vo-
luit. Cum vero Sadducaeis gemimum Pentecostes diem
simpliciter statuerent; Hillel, ne Sadducaeis videretur
quid indulgere, illisque assentiri, una cum Phariseis di-
serte iniunxit, secundum illum diem Pentecostes non
sacrum sed profanum haberi. Hodie vero, cum in his
terrulis vel nulli, vel perquam rari inveniantur inter Iu-
daeos Sadducaeis, Hillelis institutum, propter Sadducaeos
factum, non amplius attenditur. Secundam ergo
aeque ac primam feriam laute transfigunt, omni noctu et
ieunio prohibito.

Hoc discriumen inter festum Pentecostes ex instituto
primo Mosis, et hodiernam Iudeorum feriam, licet sit
apertum; tamen multo evidenter appetat in publica et
solenni bidui huius Pentecostes celebrationem. Mosi
enim in prima institutione satis fuit, diem istum definire
sacrum, quo ad publicum cultum conveniret populus,
Deoque inter sacrificia offerenda publice gratias ageret,
pro messe feliciter finita; reliqua cuiuslibet devotioni
permittens. Postea vero ordinatae sunt et praescriptae
certae precum formulae, et sectionum biblicarum praec-
lectiones solennes. Quod institutum originem primam
habere videtur a temporibus Esrae, qui turbam ex ce-
privitate reducens, ad certa pristina sacra revocare con-
stituerat. Suo igitur consulens tempori, librorum legis
particulas certas publice populo paelegi iussit, ut cultus
mosaici tanto diligentius imposterum meminissent. De-
inde etiam aliquae precum formulae sensim factae, et pu-
bli-

blico usui consecratae; quae in praesenti vel exspirarunt pleraque, vel sunt immutatae.

Praesenti enim rursus tempestati precum formulas attemperandas iudicarunt Iudeorum antistites. Quae-dam harum soluta fluunt oratione, pleraque rhythmis sunt clausae. Quem usum a Christianis europaeis accep-erunt, et in sua sacra admiserunt. Rhytmos illos sa-cros vulgus Iudeorum vocat קְרִיטָקָה quam vocem techni-cam sacram venditant compositam ex literis initialibus sequentium vocum קְרִיטָקָה וְשֻׁוּתָה בְּאַוְלָה צְרוּבָה. m) Verum doctiores iudei hanc derivationem et significa-tionem reficiunt, et vocem aliter scribendam urgent, nempe קְרִיטָקָה additamenta; quod rhythmicæ illæ can-tiunculae solutis sint superadditæ aut adiunctæ.

Vespera primi diei, feriarum Pentecostalium con-secratio solenni conficitur formula: זֶה מִן תְּוֹרַתִּי hoc tempus nobis legis latae; qua Deum celebrant pro ins-tituto festo, in memoriam collatorum beneficiorum, per legem latam. Insimul poculum vini publice consecrant, ob convivia illius diei celebranda. Ipsò autem primo festi die ceremoniae ita perficiuntur: Duo legis volumi-na ex arca publica deprendunt, et quinque evocant le-stores, qui ex primo volumine partem sectionis Iethro praelegant, quae agit de lege, n) et quidem ita, ut

B 2

facer-

m) Psalm. 118, 15.

n) Exod. 19 et 20.

XII

facerdos primum prälegat versum, post präcentor decantet cantinuclam chaldaicam, quae continet laudes Dei pro electo sibi populo ifraël, et data illis lege. Qua finita recitat coetus versum secundum, et prälector primus pergit usque ad versum septimum; secundus ad versum decimum quartum; tertius ad vigesimum; quartus ad capitum vigesimi versum decimum quintum; quintus ad finem huius capituli. In secundo volumine prälegit präcentor sectionem legis Numer. 28, 26: usque ad finem capituli, de sacrificiis hoc festo olim offerendis. Ex prophetis idem prälegit visionem Ezechielis primam, quam vulgo vocant: מרכבה יירוחם currum Ezechielis. Quae sectione tanquam mysteriorum plenissima, et präcipua theologiae iudaicae pars a Rabbini cœnatur. Hanc Ezechielis visionem in festo hoc prälegunt in memoriam Ifraëlitarum legi auscultantium, qui sub monte Sinai stetisse et totam hanc sublimem rem penetrasse perhibentur.

Quod haec tenus de sacris Iudeorum lectionibus primo Pentecostes die visitatis dictum, certo modo ad secundum etiam pertinet diem. Preces enim in hoc repetuntur quae prioribus quoad rem habentur pares, vel eiusdem argumenti. Praemittitur autem hoc die secundo sectionibus legendis, libellus Ruth, cuius lectio certa prius consecratur formula, qua more solito Deo gratias agunt pro datis sibi omnis generis präceptis, et iniuncta huius libelli lectione. Quod mandatum a Deo licet non reperiatur; quicquid tamen a maioribus institutum, Deo adscribunt, ut a plebe servetur sanctius. Huius instituti hanc rationem solent dare; quod historia Boasi et Ruthae inciderit in tempus messis triticeae, quae festo Pentecostes finiebatur. Quae ratio respicere omni-

omnino videtur pristinum a Moysi institutum, festum hoc in memoriam finitae messis celebrandum. Interim, quia postmodum alia festi ratio admissa, ideo alii aliam quoque huius libelli lectionis suppeditant causam, quae hanc festi determinationem pro opinione Iudeorum curatius attingat. Nempe, cum Boas ducere vellet uxorem Rutham, feminam paganam, eandem tunc factam prius israëliticam. Hinc in memoriam agnitae et suscepitae a Rutha legis, historiam hanc legunt, ut plebi observantiam legis tanto melius et suavius commendent.

Post lectionem huius libelli, duo legis volumina ex arca promuntur, ut die praecedenti. In primo legunt interum quinque lectores evocati benedictionem et maledictionem legalem. o) In altero volumine praelegitur iterum sectio de sacrificiis hoc festo offerendis. p) Postea lector unus legit in propheta Habacuco orationem prophetae, quae eiusdem aestimatur argumenti, cuius erat Ezechielis currus, primo die praelectus. Post primum versum preces funduntur, in quibus fit mentio legis et angelorum.

His finitis honoratus quidam inter Iudeos in Synagoga circumire solet, nummos colligens, adhibita hac formula: cui lubet dare elemosynam, in honorem huius loci, in honorem legis, et in honorem festi? Quae collectio dicitur: **מְחַנֵּת יְהוָה collectio manuum** sive elemosyna.

B 3

Deni-

o) Deut. 11, 26, sequ.

p) Num. 28, 26.

XIV

Denique claudunt haec sacra publica cantione quādam rhytmica, quae adhortationem ad pracepta servanda continet. Privata celebritas conviviis praecipue aestimatur.

Tandem terminatur omnis Pentecostes huius festivitas solenni ritu discriminandi dies festos elapsos a profestis sequentibus. Hoc fit exeunte die secundo feriato, et dicitur *הברלה discriminatio*. Quae, quamvis etiam in aliis feriatis diebus sit visitata, tamen in hoc cum aliquo discrimine perficitur, praesertim si feriarum terminus in sabbatum incidat. Circa vesperam apportatur grandior candela, quam puer tenere solet, vna cum aromatibus et vini poculo. Praecentor summo in manus vini poculo benedicit, certa formula, qua fiduciam in Deum positam Iudaei depraedant, eiusque auxilium atque praefidum sibi promittunt, insimul suae genti lucem, gaudium ac splendorem aut honorem deberi profitentur. Videatur quidem hicce ritus primum non malo institutus animo, vt feriarum maior habeatur et sanctior cura, quam reliquorum dierum profanorum. Verum hodie non est nisi fastus iudaici argumentum. Hi enim ipso suo sabbato et feriis se ab omnibus gentibus discerni credunt, et de illo discrimine sibi applaudunt, atque hac formula designant: se solos esse dignos, qui luce fruantur, reliquas autem gentes et populos luce esse indignos, quibus non nisi teatrae debeantur. Quae praerogativa, ut tanto habeatur luculentior, vinum et aromata degustant, additis consecrationibus, quibus se solos delicias et honorem esse promeritos indicant.

Ex

Ex haec tenus dictis luculenter apparet, quanta sit inter Pentecostes festi celebrationem veterem ac recentem differentia, si primum mosiacum institutum ex mandato divino profectum, cum sequenti Iudeorum immutatione et deflexione voluntaria comparetur.

Ceterum longe maior et ponderosior est subdistingatio inter Pentecosten Iudeorum et Christianorum. Retenta quidem apud hos festi huius sacra celebritas, sed plane diverso ab antecedentibus instituto et scopo. Ordinatum nempe in prima christiana ecclesia hoc festum sacram in honorem et memoriam Spiritus Sancti, qui non solum super Apostolos, solemni hac feria runc congregatos, ex promisso Servatoris Christi, in coelum ascendens, miraculose descendit, sed etiam fidelium omnium corda salutaribus veritatibus implere gratiose promisit. Tanto ergo solennior et iucundior hicce dies esse debet veris Christianis ac in Veteri Testamento Iudeis fuit, quanto sublimior et praestantior est devotionis ratio. Merito festum hoc Spiritui Sancto sacrum, venerationem excitare debet maximam in animis fidelium Christi membrorum, et ad debitum incitare munus; ut divini huius Spiritus erga genus humanum benignitatem atque amorem devota recolant mente, gratiaque pro tanto dono persolvant Deo, ac simul precibus invocent ardentibus, velit sua gratia ex spiritu imposferum adesse, mentem illuminare et sanctificare.

Ad haec debita officia, Vos, Cives charissimi, pro paterno erga Vos affectu, solicitarus, et admonitione animum Vestrum agitamus, ut Spiritus Sancti dona parata et obla-

XVI

oblata Vobis gratissima reapse demonstrare velitis, et Vos
esse templum Dei et sui Spiritus per ipsas Vestras actiones
declarare non intermittatis. Bene estote memores verbo-
rum Pauli; q) *An nescitis vos esse templum Dei, et spiritum Dei habitare in vobis. Si quis templum Dei violat, hunc
perdet Deus; nam templum Dei sanctum est, quod estis
Vos.*

P. P. in Academia Iulia Carolina d. XXIX. Maii
A. S. M D C C L X I I .

q) 1 Corinth, 3, 16 et 17.



AB: 153990



5b.

VDA 8

R

B.I.G.

Farbkarte #13

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

8
7
6
5
4
3
2
1
0
DIFFERENTIA
FESTI PENTECOSTES

VETERIS ET RECENTIS

PROGRAMMA

FESTO PENTECOSTES

IN ACADEMIA

IVLIA CAROLINA

ANNO MDCCCLXII.

P. P.

HELMSTADII

FORMIS LITTERARVM SCHNORRIAE VIDVAE

ACAD' TYPOGR

